

Coadjutoria temporalis sine futura successione in beneficiis episcopatu inferioribus concedi potest ab Episcopo, quia sicut Episcopus illos beneficiatos instituere potest, ita et quidem a fortiori iisdem etiam adiutorem dare potest. Coadjutoria autem perpetua cum futura successione concedi nequit, nisi per solum Papam (1).

II. Coadjutus et coadjutor simul admittendi non sunt ad distributionum quotidianarum participationem, quia unica tantum portio illis debetur tanquam repræsentantibus unicam solam personam (2).

Omnes fructus, distributiones et emolumenta reservantur coadjuto, ac si ipse præsens esset (3). Quando coadjutor habet aliunde, unde se decenter sustentare valeat, nonnumquam disponitur, quod coadjutor nihil prorsus percipere debeat de fructibus et distributionibus. Quod autem si non habeat, coadjutus ex redditibus beneficii coadjutori suo ministrare tenetur expensas necessarias, ex quibus coadjutor vivere possit (4), sicut interdum mandatur in indulto coadjutoriae, juxta portionem, qua partes inter se convenerunt ante porrectam supplicationem; quod in petitione indulti necessario exprimendum est (5). Si coadjutor ob paupertatem, ecclesiae decenter servire nequeat, a servitio excusaretur, et principalis illum compellere non posset, nisi dando ei aliquid, quo honeste deservire valeret (6).

III. Canonicus coadjutus immunis est a chori et ecclesiae servitio, cui coadjutor obstringitur (7), quia fictione juris coadjutus et coadjutor unicam tantum in juribus canonicalibus repræsentant personam. Residere tamen tenetur in loco, ubi canonicatum obtinet, nisi habeat indultum (8).

(1) Conc. Trident. sess. XXV, cap. VII de reform. Reiffenstuel lib. III, tit. VI, n. 27; Barbosa de canonicis cap. XXIX, n. 1; Lucius Ferraris *Canonicatus* art. X, n. 6, et *coadjutoria* n. 3-7.

(2) S. C. C. 25 Sept. 1762, *Melev.* apud Zamboni tom. IV, *distributiones* § III in fine.

(3) S. C. C. 3 Dec. 1729, *Rom.* § 4, apud Zamboni tom. 4, *Canonicus*, § 1; Acta S. Sedis vol. VII, fol. 196.

(4) S. C. C. loco cit. apud Zamboni.

(5) S. C. C. 19 Ap. 1760, § 4, apud Zamboni loco cit.

(6) Barbosa de canonicis cap. 29, n. 12; Lucius Ferraris, *Canonicatus* art. X, n. 62.

(7) S. C. C. 16 Maji 1739, § 4, *Ovet. Coadjut. et distr.*

(8) S. C. C. 16 Maji 1739, *Ovet.* § 4; 15 Ap. 1780, *Rom.* § 8, apud Zamboni tom. 4, *Canonicus*, § 1; Giraldis de pœnis eccl. p. 2, *residentia* cap. IV.

Coadjutus equidem choro, missæ, processioni interesse potest, etiam simul cum suo coadjutore. et uterque in habitu canonicali, coadjutus in proprio loco, et coadjutor post alios, ut § seq. dicitur (1). Quinimo, si velit per seipsum choro interesse, hebdomadam explere, et omnibus functionibus ecclesiasticis, canonicatui suo adnexis, defungi, impediri non potest (2).

IV. Si canonicus jubilatus coadjutorem impetret, jubilationis indultum eum amplius non juvat, sed punctaturis obnoxius est, quotiescumque nec ipse, nec coadjutor inservit (3).

Quando coadjutus ratione infirmitatis vel alterius excusationis legitime impeditur, idcirco coadjutor non eximitur; sed si coadjutor vel negligat vel nolit residere, coadjutus punctandus est, ad damnum tamen coadjutoris (4). Si autem non solum coadjutus infirmus fuerit, sed etiam coadjutor morbo impediatur; coadjutus fructus et distributiones percipere debet, ac si officiis divinis per se vel per coadjutorem assisteret (5).

§ 5. De coadjutoribus.

I. Coadjutor est ille, qui deputatur ad supplendum officium dignitatis aut canonici. Unde habere tenetur qualitates requisitas ad obtinendam præbendam et ad supplendum officium, ad quod deputatur (6).

II. Coadjutor, durante vita coadjuti, non est verus canonicus, sed fictus, non habens jus nec titulum in beneficio, sed tantum exercitium et administrationem nomine coadjuti, penes quem residet totale jus in canonicatu (7).

(1) Lucius Ferraris *Canonicatus* art. X, n. 52.

(2) S. C. C. 9 Ap. 1718 *Florentina*; 16 Maji 1739, § 4, *Ovet.* apud Zamboni tom. 1, *Canonicus*, § 1, n. 11, et tom. 4, *Ccanonicus*, § 1.

(3) S. C. C. 16 et 30 Jan. 1740, § 8, *Ovet.* apud Zamboni tom. 4, *Canonicus*, § 1.

(4) S. R. C. 8 Maji 1617, *Patavina*; 4 Ap. 1620, *Ceneten*; 20 Feb. 1627, *du-bium de coadjutore*; S. C. C. 16 Maji 1739 § 4, *Ovet.* apud Zamboni tom. 4, *Canonicus*, § 1.

(5) S. C. C. 21 Junii 1625, *Vicen.* et 3 Dec. 1729, *Romana* apud Zamboni tom. 1, *Canonicus*, § 1, n. 2, 20 et 21; Lucius Ferraris *Canonicatus*, art. X, n. 70; Barbosa de canonicis cap. 29, n. 45.

(6) Lucius Ferraris, *Canonicatus*, art. X, n. 34-37 et 54; Barbosa de canonicis, cap. 29, n. 47.

(7) S. C. C. 26 Aug. 1780, § 7, *Apoc.* apud Zamboni tom. 4, *Canonicus*, § 1;

Hinc coadjutor ad fidei professionem, quam juxta Concilium Tridentinum veri canonici facere obligantur, non tenetur, nisi cum successioni locus fuerit (1); nec coadjutoriam suscipiendo fabricæ solvere debet, quod per novos canonicos solvi solet (2); non potest esse iudex synodalis, nec delegatus Apostolicus (3); neque gaudet privilegiis et indultis de percipiendis fructibus in absentia, puta ratione studii aut lecturæ in aliqua universitate (4).

Quapropter non sufficit prima capta possessio, vivente coadjuto, sed eo defuncto, novam capere debet possessionem (5).

III. Coadjutor gaudet facultatibus omnibusque privilegiis in litteris coadjutoriae expressis: inde colligendum et determinandum est, quæ ejus sit facultas, et officium ac obligatio (6). Hoc bene notandum est; ampliores enim unius, quam alterius esse possunt facultates, variaque etiam privilegia pro persona, cujus constituuntur coadjutores. Hoc etiam attendendum est pro sequentibus, quæ intelligenda sunt, prout fit communiter, abstrahendo a particularibus circumstantiis.

IV. Coadjutori generaliter competunt omnes prærogativæ, honores et privilegia coadjuti (7). Hoc tamen limitandum est, 1° absente coadjuto, ei enim præsentem omnes honores conveniunt (8); 2° in actibus capitularibus, quos nomine coadjuti exercet, quia in illis tantum vices coadjuti supplet, eumque repræsentat (9); et 3° prout in sequentibus exponetur.

Ita coadjutori, in absentia coadjuti, canonici inservire et ministrare tenentur eo modo, quo tenerentur canonico coadjuto (10).

S. R. C. 13 Junii 1614, *Taurinen*; Scarfantonus lib. 1, tit. XII, animadv. 2 et seq., Barbosa loco cit. n. 3 et seq.

(1) Scarfantonus lib. 1, tit. XII, animadv. 18; Lucius Ferraris, *Canonicatus*, art. X, n. 56.

(2) Scarfantonus ibid. n. 17 et Lucius Ferraris n. 64.

(3) Lucius Ferraris ibid. n. 55; Barbosa de canonicis cap. 29, n. 31.

(4) Lucius Ferraris ibid. n. 63; Benedictus XIV Instit. 107, § X.

(5) S. R. C. 16 Sept. 1606, *Coimbricen*; 17 Jul. 1640, *Papien*; 20 Sept. 1687, *Neapolitana*; Lucius Ferraris loco cit. n. 24-29; Scarfantonus, lib. 1, tit. XII, animadv. 13-16.

(6) S. R. C. 16 Sept. 1606 *Coimbricen*, 2; Barbosa de canonicis cap. 29, n. 2; Krimer in lib. III, Decretal. quæst. VI, tit. VI, art. V.

(7) Acta S. Sedis vol. VII, fol. 579; Zamboni tom. 4, *Canonicus*, § 1; Barbosa de canonicis cap. 29, n. 2; Krimer loco cit.

(8) S. R. C. 24 Maji 1636, *Civitatis Castell*.

(9) Scarfantonus lib. 1, tit. XII, animadv. 21

(10) S. R. C. 10 Jan. 1609, *Casalen*.

Coadjutor dignitatis assistit Episcopo solemniter celebranti, vel cum cappa assistenti, non autem coadjutor canonici, nisi in defectu canonicorum titularium (1).

Coadjutor capitulis interesse non potest, nec vocem habere, sive activam sive passivam, absente etiam coadjuto, nisi hoc in litteris coadjutoriae explicite exprimatur (2).

V. Coadjutor dignitatis, tam præsentem quam absentem coadjuto, sedet et incedit post omnes dignitates et ante omnes canonicos, nisi litteræ coadjutoriae aliter decernant, aut alia forte sit consuetudo (3); coadjutor autem canonicorum sedere debet in ultimo loco sui ordinis (4). Quando aliquas functiones facit loco principalis, ut cantare lectiones, præintonare antiphonas et similia, illas facere debet in novissimo loco, relinquendo locum digniorem veris canonicis; quod pariter intelligendum est de pace et thurificatione (5).

Vivente coadjuto præcedere non potest veros canonicos postea provisos, sed sedere debet post omnes canonicos. Defuncto coadjuto, et capta possessione, præcedit coadjutorem antiquiorem, cujus coadjutus adhuc vivit; locum autem obtinere nequit supra illos, qui durante sua coadjutoria, de canonicatu provisi fuerunt (6).

Coadjutor, præsentem coadjuto, non habet personam assistendi choro (7); assistere tamen potest; sed si sedes non sufficiant pro veris canonicis, ipse discedere debet (8). Quod si sedes deficient pro coadjutoribus, quorum coadjuti absunt, discedere illi debent, quorum coadjuti præsentem sunt (9).

VI. Coadjutor, sive canonici sive dignitatis, absente coadjuto, potest et debet facere omnes functiones omniaque exercere, quæ fierent a coadjuto, si præsens esset (10).

(1) S. R. C. 28 Aug. 1628, 3, *Brundusina*, et 24 Maji 1636, *Civitatis Castell*; Pallottini, *Canonicus*, § 1, n. 43; Scarfantonus loco cit. animadv. 35.

(2) S. R. C. 20 Dec. 1628, *Pharen*; S. C. C. 20 Mart. 1649, *Narnien*, apud Zamboni tom. 1, *Canonicus*, § 1, n. 3; Pallottini, *Canonicus*, § 1, n. 76 et seqq.; Lucius Ferraris, *Canonicatus*, art. X, n. 69; Scarfantonus lib. 1, tit. 12, anim. 40.

(3) S. C. C. 28 Junii 1873 in Actis S. Sedis vol. VII, fol. 578.

(4) S. C. C. 15 Ap. 1690, dub. 2, *Casalen*, apud Zamboni tom. 1, *Canonicus*, § 1, n. 4; S. R. C. 2 Jul. 1640, 2, *Ferrarien*; 5 Mart. 1644, *Æsina*. Vid. index gen. decret. S. R. C. *Coadjutor*; Lucius Ferraris *Canonicatus*, art. X, n. 14-20; Scarfantonus lib. 1, tit. XII, animadv. 25, 27, 31 et 32.

(5) S. R. C. 3 Dec. 1616, 1, *Patavina*.

(6) S. R. C. 8 Dec. 1619, *Casalen*; 26 Feb. 1628, *Bergomen*.

(7) S. R. C. 26 Sept. 1643, *Camerinen* et *Castellaneten*; 4 Mart. 1646, *Cortonen*.

(8) S. R. C. 6 Ap. 1658 et 15 Feb. 1659, *Messanen*.

(9) S. R. C. 12 Junii 1660, *Messanen*.

(10) S. C. C. 15 Ap. 1690, *Casalen*, apud Zamboni tom. 1, *Canonicus*, § 1, n. 4;

Notandum autem 1° coadjutorem, invito vel nolente coadjuto, quidquam exercere non posse (1).

2° Coadjutorem dignitatis, cujus est explere functiones pontificales, absente vel impedito Episcopo, easdem peragere debere, absente coadjuto, non vero posse, eodem præsente (2).

3° Ipsum obligari ad onera sui principalis, non autem ad onera aliorum : ita ut absente hebdomadario, non coadjutor alterius, sed canonicus junior supplere debeat (3).

VII. Coadjutor tenetur residere, et officiis divinis assistere, etiam in casu, quo adjutus propter infirmitatem vel aliud legitimum impedimentum residere non debet. Gaudet tamen jure vacationis, modo coadjutus eodem jure non utatur, et per coadjutum ejusque coadjutorem illud tantum tempus, quod jus permittit, vacationi impendatur (4).

Coadjutores non sunt exempti nec liberi ab obligatione residendi, quando coadjuti sunt infirmi vel alia causa impediti, per quam tanquam præsentes reputarentur (5).

Item coadjutori, qui datus est canonico indultum jubilationis habenti, minime suffragatur hoc indultum coadjuto concessum, quin inservire debeat (6).

VIII. Coadjutor pro labore et servitio præstando in munere coadjutoris, regulariter nihil petere aut exigere valet (7), ut dictum est § præc. ad II.

Coadjuto quacumque ex causa præsente, coadjutor distributiones quotidianas lucrari non potest (8); absente autem coadjuto, easdem acquirit coadjuto (9), videlicet ad utilitatem coadjuti (10).

28 Junii 1873, in Actis S. Sedis vol. VII, fol. 584. Vid. index generalis decr. S. R. C. *Coadjutor*.

(1) S. R. C. 20 Dec. 1628, *Pharen*.

(2) S. R. C. 24 Ap. 1649, *Monopolitana*; 10 Mart. 1657, *Bituntina*.

(3) S. R. C. 15 Ap. 1606, *Elboren*, 5; 16 Sept. 1606, *Coimbricien*, 7; 11 Maji 1638, *Beneventana*; 17 Sept. 1641, *Camerinen*; Lucius Ferraris, *Canonicatus*, art. 53; Scarfantonus lib. 2, tit. 12, animadv. 37.

(4) Lucius Ferraris, *Canonicatus*, art. X, n. 30-31; Barbosa de canonicis cap. 29, n. 15 et 44.

(5) S. R. C. 15 Ap. 1606, *Elboren*, 2; 16 Sept. 1606, *Coimbricien*, 8.

(6) S. C. C. 18 Ap. 1733, § 7, *Calag.* apud Zamboni tom. 4, *Canonicus*, § 1.

(7) S. C. C. 19 Ap. 1760, § 3, *Bar.* apud Zamboni loco cit.

(8) S. R. C. 15 Ap. 1606, *Elboren*, 4.

(9) S. C. C. 23 Jan. 1796, § 7, *Rom.* apud Zamboni tom. 4, *Canonicus*, § 1.

(10) S. R. C. 16 Sept. 1606, *Coimbricien*, 6; 12 Jun. 1660, *Messanen*; Lucius Ferraris *Canonicatus*, art. X, n. 31, 38-46; S. C. C. 27 Febr. 1891 ap. Acta S. Sedis, vol. 23, fol. 628.

Si coadjutor choro inservire negligat, coadjutum compensare tenetur in iis omnibus, quæ coadjutus a capitulo non perceperit, quæque sua præsencia percepisset (1); ita ut, si coadjuto infirmo, coadjutor choro non inserviat, distributiones coadjuto debeantur, solvendæ non de distributionibus capitularibus, sed de propria bursa ipsius coadjutoris (2), nisi forte coadjutor ipse etiam infirmus fuerit, ut dictum est § præc. ad IV.

§ 6. De vicario generali.

I. Vicarius generalis potest esse canonicus, vel non.

Licet plura motiva et plura Sacrarum Congregationum rescripta afferantur, ad probandum, canonicos ab officio vicarii generalis excludi, vel id tantum permitti ad tempus et cum dispensatione Sedis Apostolicæ (3); plurima tamen Sacræ Rituum congregationis decreta supponunt, vicarium generalem esse canonicum, et nullum ex iis reprobant, illum talem esse.

Vicarius tamen generalis, canonicus esse non debet ut liquet ex iisdem decretis S. R. C. quæ sæpius disponunt de vicariis generalibus, quatenus canonici non fuerint.

Vicarius generalis, qua talis, etiam canonicus esse non potest. Non oportet, quod, si vicarius generalis ab Episcopo nominetur, eo ipso sit canonicus, vel canonicus quoque nominetur : et etiam implicat, quod si desinat esse vicarius, desinat esse canonicus; cum enim canonici sint inamovibiles, ipse canonicus amovibilis esse nequit.

Qua talis multo adhuc minus prima capituli dignitas esse potest; legitimum enim esse nequit, quod, cum vicarius generalis constitutus fuerit, et quamdiu eo fungitur officio, omni illo tempore sit prima capituli dignitas, gaudeat præeminentia supra canonicos, fruatur jure convocandi capitulum, præsit sessionibus capitularibus, vocem habeat in capitulo, etiamsi præbendam non possideat, et quatenus vicarius, sic etiam quatenus canonicus et dignitas, amovibilis maneat. Unde Concilium Tridentinum sess. 25, cap. VI

(1) S. R. C. 8 Maji 1617, *Patavina*; 4 Ap. 1620, *Ceneten*; Acta S. Sedis vol. VII, fol. 196.

(2) S. R. C. 2 Jul. 1640, *Ferrarien*.

(3) *Analecta juris Pontificii sér. 9, 1867, fol. 60.*

de reformat. statuit : « Qui si aliquid canonicis ad deliberandum » proponant, nec de re ad suum, vel suorum commodum spectante » agatur; Episcopi ipsi capitulum convocent, vota exquirant, et » juxta ea concludant. Absente vero episcopo, omnino hoc ab iis » de capitulo, ad quos hoc de jure, vel consuetudine spectat, per- » ficiatur; nec ad id vicarius episcopi admittatur. » S. C. Congregatio (1) etiam negavit, dignitatem seu canonicum cathedralis, cui adnexa est cura animarum, posse exercere munus vicarii generalis : et S. R. Congregatio (2) censuit vicarium generalem « in capitulo uti vicarium non habere vocem » (3).

II. Si non sit canonicus, incedere nequit in habitu canonicali, sed vicariali (4).

Habitus vicarialis non est cotta vel superpelliceum, seu habitus clericalis aut choralis (5), sed habitus ejus ordinarius et quotidianus, quo utitur extra functiones ecclesiasticas, videlicet vestis talaris nigra cum mantello et bireto (6), vel etiam vestis talaris et pallium (7), et si sit Prælati, rocchetto et mantelletum (8).

Si autem sit canonicus, in habitu canonicali vel vicariali incedere potest. Si in habitu canonicali incedat, nulla gaudet præeminentia (9), et in stallo receptionis suæ sedere debet, ut distributiones lucrari valeat (10); si vero in habitu vicariali incedat, distributiones amittit; gaudet autem præcedentia (11).

III. Si sit canonicus et in habitu canonicali, in loco receptionis suæ semper incedere et sedere debet; si autem non sit canonicus, vel etiamsi sit, dummodo in habitu vicariali incedat (12), tunc non

(1) 3 Feb. 1685, apud Zamboni *Vicarius gen.* n. 5.

(2) 17 Julii 1640, *Turritana*.

(3) Vid. *Analecta juris Pontificii sér. 6, 1863, fol. 2032 et 2033, sér. 9, 1867, fol. 856-876*; Lucius Ferraris, *Vicarius generalis* art. 2, n. 56-58.

(4) S. R. C. 18 Feb. 1843, *Anagnin*.

(5) S. R. C. 2 Aug. 1603, *Calaguritana*; 21 Feb. 1604, *Compostellana*; 11 Maji 1641, *Spataten*; 22 Maji 1683, *Ruben*.

(6) S. R. C. 14 Jan. 1617, *Nepesina*; 22 Mart. 1631, *Veliterna*; 4 Feb. 1640, *Turritana*; 11 Maji 1641, *Reatina*; 2 Dec. 1690, *Adjacen*.

(7) S. R. C. 30 Jul. 1689, *Isclana*, 1.

(8) S. R. C. 22 Mart. 1631, *Veliterna*, et 30 Jul. 1689, *Isclana*, 1.

(9) S. R. C. 21 Jun. 1632, *Acernæ* et plura alia in indice generali ad vocem, *Vicarius gen.*

(10) S. R. C. 21 Mart. 1609, *Lauretana*; 7 Aug. 1610, *Candix*; 19 Jun. 1655, *Ortonen*, *Camplen*.

(11) S. R. C. 21 Feb. 1604, *Compostellana*.

(12) S. R. C. 14 Jan. 1640, *Ostunen*.

sedet inter canonicos, sed juxta cæremoniale Episcoporum (1) in loco, quem pro consuetudine ecclesiæ habere solet. Licet autem in hoc casu juxta cæremoniale nullus pro vicario generali determinatus sit locus (2); inde tamen non sequitur, illum sedere posse hic aut illic prout voluerit, sed locum obtinere diversum juxta diversas ecclesiarum consuetudines, ita ut in loco solito sedere debeat (3), eique stallum seu sedes fixa assignanda sit, non amplius varianda, neque unquam ab aliis, eo absente, occupanda (4).

Si sedes distincta ei danda sit, locus decens ab Episcopo assignandus est in planitie a dextra seu a digniori parte chori (5). Sedes potest esse portatilis et coriacea (6), sed sine pulvinari, sine strato et sine genuflexorio (7).

Si sedem distinctam in choro habeat, dignitatis stallum occupare nequit (8), nisi Episcopus etiam in stallo canonicali assistat, in quo casu nec convenit, ut vicarius sedem distinctam retineat (9).

Si sedem distinctam non habeat, ei debetur primum stallum in choro; ita ut tunc prima dignitas stallum suum et primum locum honoris causa vicario generali cedere debeat (10).

IV. Ut vicarius generalis, qua talis, primum seu distinctum locum habeat, et præcedentia gaudeat, neque cotta seu habitu clericali, neque choralis aut canonicali, licet distincto ab aliis canonicis, indutus esse potest; sed oportet, ut sit in habitu vicariali, prout supra dictum est. In hoc habitu vicariali præcedentia fruitur supra omnes ecclesiasticos, tam præsentem quam absentem Episcopo, exceptis : 1^o hebdomadario seu celebrante (11), 2^o canonicis assistentibus

(1) Lib. 1, cap. 13, n. 12.

(2) S. R. C. 4 Sept. 1745, *Pernambucen*, 4.

(3) S. R. C. 19 Nov. 1639, *Acernen*.

(4) S. R. C. 23 Mart. 1641, *Ruben*; 20 Dec. 1692, *Aquipendii*.

(5) S. R. C. 20 Dec. 1692, *Aquipendii*, 1; 28 Jul. 1742, *Alexanen*, 1; 3 Jul. 1745, *Gravinen*, 4.

(6) S. R. C. 16 Ap. 1639, *Bituntina*; 28 Jul. 1742, *Alexanen*, 1.

(7) S. R. C. 3 Aug. 1737, *Urbevetana*, 5; 10 Dec. 1740, *Melphiten*, 7; 17 Jul. 1830, *Isernien*, 1.

(8) S. R. C. 2 Jul. 1640, *Tragurien*; 9 Jun. 1657, *Potignanen*; 13 Jul. 1658, *Fundana*.

(9) S. R. C. 2 Jul. 1661, *Rheginen*.

(10) S. R. C. 19 Maji 1607, *Placentina*, 4; 13 Mart. et 20 Nov. 1627, *Castellane*; 20 Dec. 1692, *Aquipendii*; 3 Aug. 1737, *Urbevetana*, 5.

(11) S. R. C. 27 Feb. 1847, *Tranen*.

in throno (1), et 3º canonicis paratis (2). Quapropter si canonici sint parati, vicarius generalis abstinere debet (3), si idcirco loco debito et convenienti assistere nequeat. Sacras vestes ipsi assumere non licet, nisi sit de gremio capituli; hoc autem casu in loco receptionis suæ sedere debet (4). Hæ tamen decisiones, quibus præcedentia canonicis paratis attribuitur juxta Benedictum XIV (5), ita intelligenda sunt, nisi vicario assistat consuetudo etiam tunc præcedendi, aut nisi ipse pariter indutus sit habitu prælatitio, scilicet rocchetto et mantelletto.

V. Vicarius generalis, quatenus est canonicus, similis est aliis canonicis, eodem utitur habitu, gaudet iisdem juribus et honoribus, ac tenetur ad eadem munera et onera, nisi forte propter servitium, quod præstat Episcopo, ab his eximatur, ut alibi dicitur.

Quatenus est vicarius generalis, fruitur præcedentia supra omnes canonicos et dignitates, ut supra dictum est; an autem jurisdictionem in capitulum exercere valeat dicitur cap. XXXII, § 13.

Quatenus est vicarius thurificandus est, eique pax danda ante dignitates et canonicos, nisi sint parati, aut Episcopo præsentem in throno assistant (6). Antiphonam non præintonat (7), nec cum canonicis accedit ad circulos ante Episcopum in missa solemni (8), nisi sit canonicus, et sedeat in loco receptionis.

In processione, si sit canonicus, paramenta sacra cum canonicis assumere potest; tunc autem nulla gaudet præcedentia, et in loco receptionis suæ incedere debet. Si autem paramenta non assumat, incedere nequit in habitu canonicali, sed incedere debet in habitu vicariali, et post Episcopum seu post baldachinum (9), nisi magistratus sit in quasi possessione incedendi eodem in loco immediate post Episcopum, in quo casu vicarius a processione abstinere debet (10). Si vero canonici non sint parati, vicarius cum iisdem in

(1) Cærem. Ep. lib. 1, cap. 23, n. 27; S. R. C. 3 Jul. 1745, *Gravinen*, 1.

(2) S. R. C. 12 Jan. 1641, *Polignanensis*; 2 Dec. 1690, *Adjacen*, 1; 23 Jan. 1700, *Urbinate*, 6; 3 Jul. 1745, *Gravinen*, 4.

(3) S. R. C. 2 Dec. 1690, *Adjacen*, 2.

(4) Idem, decr. ad l.

(5) De Syn. dioc. lib. 3, cap. 10, n. 4.

(6) S. R. C. 19 Jun. 1655, *Marsicana*; 3 Jul. 1745, *Gravinen*, 1.

(7) S. R. C. 29 Jan. 1656, *Balneoregion*.

(8) Lucius Ferraris, *Vicarius gen.* art. 2, n. 46.

(9) S. R. C. 17 Sept. 1641, *Pacen*.

(10) S. R. C. 2 Jul. 1640, *Tusculana*; 2 Mart. 1641, *Albanen*; 7 Sept. 1658, *Fundana*.

processionibus incedit, scilicet si sit in habitu canonicali, in loco suæ receptionis, et in habitu vicariali, in loco digniori (1).

Directio chori pertinet ad digniorem chori, et non ad vicarium generalem (2), nisi forte ex consuetudine aliisve specialibus circumstantiis spectet ad vicarium (3). Curare tamen valet, ut omnia suo ordine fiant (4).

Functiones Episcopales, absente vel impedito Episcopo, pertinent ad primam capituli dignitatem, et hac impedita, ad alias dignitates ordine successivo, numquam vero ad vicarium generalem (5), non obstante decreto synodali, neque consuetudine, quæ abusus declaratur (6).

§ 7. De canonicis aliud speciale officium habentibus.

Plures ex canonicis quandoque aliud speciale officium exercent, quales sunt superior seminarii, secretarius Episcopi, parochus cathedralis, etc., qualescumque autem fuerint, eodem tamen semper, ac reliqui canonici, utuntur habitu, et nulla gaudent præcedentia. Ita S. R. Congregatio declaravit: « Cum juxta dispositionem Concilii Tridentini pro erigendo seminario fuerit ab Archiepiscopo electus unus ex canonicis ecclesiæ cathedralis, a capitulo vero una ex dignitatibus ejusdem ecclesiæ; consulta fuit S. R. Congregatio, quisnam illorum in sessionibus præcedere debeat. Et eadem Congregatio respondit: Canonico prædicto ratione hujus deputationis nullam deberi præcedentiam, sed sedere et incedere debere in loco suæ solitæ receptionis. » Die 16 Sept. 1645, *Urbinate*. Cum ex jure omnes ordine receptionis sedere et incedere debeant, valde absonum esset, si aliquis ex tali titulo præcedentia super canonicos antiquiores frueretur.

(1) S. R. C. 7 Sept. 1658, *Fundana*; 28 Jul. 1742, *Alexanen*, 3.

(2) S. R. C. 2 Mart. 1652, *Turritana*.

(3) S. R. C. 10 Maji 1653, *Montis Fatisci*.

(4) Lucius Ferraris, *Vicarius gen.* art. 2, n. 50.

(5) S. R. C. 16 Jan. 1607, *Neocastren*, 1; 17 Jul. 1627, *Melitanen*; 16 Ap. 1639, *Turritana*, 1.

(6) S. R. C. 20 Aug. 1639, *Hieracen*; 29 Mart. 1659, *Cesenaten*, 1.